This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

Lt. M.
870
J 9

Jordan, Henri

HENRICI IORDANI

VINDICIAE SERMONIS LATINI ANTIQVISSIMI.

11 0551

COMMENTATIO EX INDICE LECTIONVM IN REGIA VNIVERSITATE ALBERTINA
PER AESTATEM A. 1882 HABENDARVM SEORSVM EXPRESSA.

REGIMONTII
A. 1882.
PROSTAT IN OFFICINA HARTVNGIANA.

870
J82vi

Miro fervore neque vero eventu infelici philologi Germaniae his quinquaginta ferme annis, quos a Plautinis studiis auspice Ritschelio susceptis numerant, sermonis Latini antiquissimi leges pro sua quisque facultate recuperare enisi sunt. quo quidem temporis decursu id quoque magis magisque eorum animis insinuavit, quod idem ille horum studiorum sospitator iam anno 1833 paene dixerim subsenserat (v. nunc Opusc. V p. 17), campum eum, in quo grammaticae messis conligendae labor exanclandus sit, ab eis regionibus, quibus cognatarum nationum linguae litteraeque effloruerunt, non esse quasi maceria quadam diremptum, ita ut ultro citroque commeandi fructumque vicissim petendi dandique ius potestasque nulla sint. quodsi conticuere eorum voces, qui hoc quod significavi commeandi comparandive studium a Graecae Latinaeque grammaticae disciplinis procul esse habendum pueris nobis alte clamitabant, tamen ne nunc quidem desunt qui tacite tecteque idem aversando philologiam incrementis non solum novis verum etiam plane necessariis intercludant. sed isti quidem habent non nihil quo se excusent, inportunam quorundam in nostros fines incursionem, qui quid intra hos natum sit quibusque ibi legibus vivatur parum curando suaque longinque inferendo permistionem omnium rerum obscuritatemque procreent. ·quodcontra saepe mirari subiit quod sani homines iudicii eorum patrocinium suscipere cotidie dignentur, qui quidquid lapidi vel aeri aut testis tectoriisve Latine inscriptum extat, id ab historia quam moliuntur sermonis Latini alienum arbitrantur esse. quapropter si meo proludendi omnigenarum lectionum indici munere ita fungerer, ut exemplis per saturam conpositis conprobarem, quid haec quam profiteor philologia classica paulum propagatis utroque versus finibus proficeret, honori ipsius litterarumque universitati pro virili parte consuluisse mihi videbar. sed circumspicienti mihi ac paene haesitanti quod primum de tam multis exemplis in medium adferrem, repente omnis dubitatio adempta est oblatis libellis duobus altero Athenis e Batavis altero. qui licet sensu sententiaque dispariles essent ut qui maxime, tamen concorditer me cohortabantur, ut ab Iove principium more sollemni ducerem. nam ita evenit, ut cum nuper titulum Iovi sacrum Saturnoque, quo inter Latini sermonis monumenta vetustius extat nullum, post alios explicandum sumpsissem, nunc Graecus titulus Athenis optato compararet, qui illi haud absurde neque ob solam antiquitatem posse conparari videretur. sed eodem tempore adfertur Cobetii v. cl. commentatiuncula Mnemosynae voluminis noni fasciculo quarto inclusa, qua primum quidem nos quicumque in titulo Latino enucleando desudavimus

spem omnem abicere iubemur: scilicet alium alio hebetiore ingenio praeditos disciplinaque illa comparativa, qua nihil sit a ratione remotius, nescio quomodo occaecatos mera nos deliramenta aegrorumque somnia — sunt haec verba ipsius — ex illo extorsisse. fac ita esse: sed tamen quoniam in re gravi quaeque argumentorum pondera requirat vir perinlustris solis facetiis eisque rem gessit, quae nescio an hominum inlitteratorum circulis magis conveniant quam Mnemosynae Musarumque cultoribus, ne ipse quidem expectaverit huic invectivae istius parti quemquam argumentis esse responsurum. ego certe soleo silentio talia praeterire. sed expectabam equidem eum pro egregio quodque in his quoque terris suspicimus acumine ad solvendam hanc quaestionem quantumvis alienam ab ea litterarum parte, in qua fere habitat, vel tantillum novi tandem esse conlaturum. quid ille? subductis derepente superciliis suspicari se ait impostorem nescioquem scurramve, qualis apud Batavos quoque aliquando stultorum hominum studia deluserit, monstrum illud inscriptionis effinxisse. paulo incautius haec perorasse eum dixeris, siquidem quod solum in illis pagellis praeter irrisionem dixit, id hominum eorum qui fidem Dresselii, qui peritiam, qui copias falsariorum, denique qui scripturam veteris Latii sermonemque norunt — sunt autem haud pauci — eorum omnium excitabit risus. itaque a Cobetii v. cl. iocularibus conviciis suspicionibusque frivolis redeo ad rem seriam serio retractandam, interpretationem tituli Romani antiquissimi.

I.

Romae igitur Esquiliis mense Aprili anni 1880, dum ad viam quae nunc Nationalis dicitur nova Hüfferi hominis natione Germani domus coaedificatur, operae ruderibus alte egestis praeter alia figlinae artis antiquissimae fragmina vas cretaceum extraxere trigeminum: ita enim dicere licet vas quod e tribus vasibus inter se artificio singulari conglutinatis compositum est. cui cum crusta terrae quaeque longaevo situ obduruerat inducta esset, felici casu Dresselius, in cuius manus illud pervenerat, latentium sub ea litterarum antiquissimarum vestigia detexit, mox absterso dissolutove casco integumento, integras legit inscriptiones binas, quas nescio quis stilo nitidiuscule in vasi scarificaverat, priorem hanc: *iouei* (*i* inserta)*sa*(*a* ex *e* facta)*tdeiuos qoimedmitatneitedendocosmisuircosied* (spatium relictum circiter quinque litterarum capax) *astednoisiopetoitesiaipacariuois,* alteram eamque postmodo additam hanc: *duenosmedfekeden manomeinomdz*(*z* postmodo inserta)*enoinemedmaa*(*a* incerta)*ostatod.* scripta haec sunt litteris Latinis formae antiquissimae, inter quas *z* comparet tempore belli contra Pyrrhum gesti a grammatistis ex alphabeto Latino eiecta, scriptaque sunt uno tenore, nisi quod bipertita est inscriptio prior, a dextra ad sinistram, quod genus scribendi Romae unquam obtinuisse adhuc nullo documento constabat. exemplum vasculi cum inscriptione photolithographum, inscriptionis a Dresselio exceptum fidum — nam ego quoque archetypon oculis manibusque ut plus semel usurparem Dresselii humanitas permisit — extant Annalibus Instituti nostri Romani a. 1880 inserta (t. L.), unde repetita sunt ea quae ego edissertavi Herm. a. 1881 p. 225 ss. inventum est vas cum similibus, nisi quod litterata alia non comparuere, intra moenia urbis antiquae. possunt haec omnia eo antiquis temporibus e sepulcreto Esquilino, quod prope abest, abiecta esse, possunt etiam pertinere ad supellectilem sacram sacelli alicuius quod ibi sedem suam pristinam habuerit. — contra Athenis in ipsius sepulcreti ad Dipylon siti infimo strato repertum est vas cretaceum illud in quo nescio quis prorsus gemella Romano scriptori arte stilo haec scarifavit: *ὁϛνννοϱχεστονπαντοναταλοτατατπαιζειτοτο*εκ**μ***. haec certa sunt praeter ea elementa quae stellulis

significasse nunc satis habeo. exemplum vasculi lithographum extat in commentationibus Instituti nostri Atheniensis a. 1881 (t. III), inscriptionis post Cumanudem a Lollingio exceptae ligno incisum ibidem (p. 107). scripta haec quoque sunt a dextra ad sinistram, litteris Atticis formae antiquissimae, inter quas nunc primum comparet forma ≻ (ι) quae adhuc nullo documento Atticorum litteraturae vindicabatur. qua de re absolvit ibi ut solet Kirchhoffius p. 108. — non mirabuntur homines docti, quod tituli Attici, quod propter litteraturam saeculi sexti initio recentius esse non potest, verba quoad quidem legi possunt nulli dubitationi obnoxia sunt, tituli Romani, quem ante bellum cum Pyrrho gestum scarifatum esse consentaneum est, non item. sed Attici tituli scriptor quid sibi voluerit, id ne ab omni parte certum sit ultimorum elementorum intertrimentum effecit mancumve apographon. nam versum hexametrum hunc

ὃς νῦν ὀρχηστῶν πάντων ἀταλώτατα παίζει

secuntur hae litterarum reliquiae: *τοτο* εκ** μ[ιν]?* agnovit has quidem Kirchhoffius, ut plane certum sit non posse legi, quod proposuit Cumanudes *τοῦτον ἔκαυσε*: sed earum quas stellulis insertis significavi cum primam *δ* esse idem suspicatus est, nimium quantum ab exempli impressi ductibus recessit; de tertia quartaque nihil omnino certi statui posse intellexit. iam quoniam omnia ista quae post *τοτο* secuntur id genus lituris cooperta sunt, quas nisi qui archetypon usurpaverit, quo pertineant non possit nisi hariolando extricare, periti hominis qui illud denuo curiose examinaverit iudicium expectandum esse arbitror: hoc iam nunc liquido apparet scribam absoluta versiculi scriptura, cum proprio Marte pauca de suo addere vellet, titubasse, eorumque elementorum quae nunc quidem lectioni impedimento sunt partem rasura voluisse antiquare. itaque ne id quidem nunc diiudicari potest utrumne versiculus ille encomion adulescentis opinor eius, cuius sepulcro vasculum inlatum est, contineat scilicet factus dum erat inter vivos, an pertineat ad eum qui vasculum mortuo dederit. hoc constat aliquo modo memoriam hexametri coiunctam esse cum eo homine cuius sepulcro vasculum inlatum fuit. sed redeo ad vasculum Romanum.

Huius igitur inscriptiones sic distinxeram et enarraveram, primam: *Iovei Sat(urno) deivos qoi med mitat, nei ted endo cosmis virco sied; asted noisi Ope Toitesiai pacari vois,* h. e. 'Iovi Saturno divis si quis me mittat, ne in te comis virgo sit; ast nisi Opi Toitesiae pacari vis;' alteram sic: *Duenos med feked en manom; einom denoine* (corr. ex *xenoine) med ma[n]o (maao* dedit scarifator) *statod*, h. e. 'Dvenus me fecit in manum' (ad manium sacrum); 'igitur dienoni me mano sistito.' ac de summa quidem et capite totius quaestionis et tum cum pluribus eam exposui mihi cum Dresselio Bücheleroque conveniebat et nunc quoque convenit postquam Osthoffio viro doctissimo aliter visum est Musei Rhenani a. 1881, 481 ss. etenim virginem vetari ei, qui sacrum Iovi Saturnoque facturus esset, aliquo modo consociari, hoc quidem nobis videbamur probe intellexisse; sed illi cum sententiam sic distinxissent vertissentque: — *qoi med mitat, nei ted endo cosmis virco sied asted, noisi,* 'qui me mittet, ne te virgo comitetur adstet intus, nisi,' primum monui illud *cosmis* non posse comes vocabuli formam primigeniam esse, deinde neque dictum esse unquam 'comes sum te' nec posse dictum esse, tertio utique requiri in negativo enuntiato bimembri particulae repetitionem, ut saltim *nei cosmis sied neire asted* dicendum fuerit. e quibus angustiis facili opera mihi visus sum evasisse oratione ita et distincta et enarrata uti supra factum est. sed tamen primum confitendum fuit — et extat confessio mea — tam meam quam illorum enarrationem propterea dubitationibus esse obnoxiam, quod earum religionum quas enarrando inscriptioni intulimus certa testimonia desiderentur. viros

enim sacris Bonae deae interesse vetitos esse constat; e contrario virgines a quibusdam sacris arceri solitas esse monuerat Büchelerus ascita Festi glossa p. 82: *exesto, extra esto. sic enim lictor in quibusdam sacris clamitabat: 'hostis vinctus mulier virgo exesto.'* quod quidem testimonium et propter mulierum virginumque cum hoste vinctoque consortium et propter sacri genus incertum, quod tamen publicum fuisse lictoris mentio evincit, ad rem nostram stabiliendam parum idoneum erat. iam nescio qui factum sit ut nemo nostrum et notissimi et prorsus idonei testimonii memor fuerit, quod in Catonis rei rusticae libro c. 83 extat: *votum pro bubus ut valeant sic facito. Marti silvano in silva in capita singula boum votum facito, farris adorei libras III. et lardi p. IIII. s. et pulpae p. IIII. s. vini sextarios III. id in unum vas liceto coicere et vinum item in unum vas liceto coicere. eam rem divinam vel servus vel liber licebit faciat. ubi res divina facta erit, statim ibidem consumito. mulier ad eam rem divinam ne adsit neve videat quomodo fiat. hoc votum in annos singulos licebit vovere.* est hoc sacrum e genere sacrorum privatorum, quae pater familias aut ipse facit instituitve aut ut curent qui familiam efficiunt, uxor liberi servi, imperat iubet mandat: haec enim propria sunt verba, quibus ius rei divinae domi faciundae ab antiquissimis inde temporibus circumscriptum est. huius igitur sacri lex cum bipertita sit, alterum eius caput, quo certa hominum genera definiuntur, quibus rei divinae faciundae curam demandare liceat in aliorum sacrorum domesticorum legibus aliter conceptum fuisse consentaneum est; exempli causa apud eundem Catonem vilicae permittitur ut Lari familiari certis diebus iussu domini mandatuve coronam in foco ponat supplicetve; alterum caput quod est de eorum iure quibus sacro interesse liceret, an in domesticis sacris similiter variatum fuerit ignoramus, in publicis variatum esse tam carmine illo, quod a lictore in sacris publicis nescio quibus pronuntiabatur, quam lege sacri Bonae deae constituta novimus. quod caput non ad solos homines verum etiam ad bestias, atque adeo ad supellectilis sacrae condicionem pertinuisse exempla canum et morticini a sacris quibusdam alienorum commonstrant. neque vero de his rebus omnibus aut in publico aut domi observandis pro libito cautum fuisse sed pariter ac de generibus hostiarum secundum normam librorum pontificiorum, eam autem normam cum ipsa ratione et generatione deorum dearumve artissime sciteque conexam fuisse, id quidem, licet nondum sit ea quam gravitas argumenti poscit cura expositum, tamen si summam rei respicias consentaneum est. sed aliud est res ipsas stabilire aliud causas earum investigare. id quod in hoc genere vel propterea difficillimum est, quod exemplorum copia, quibus ultro aditus ad rationem legis inveniendam aperiatur, destituamur. itaque siquis quaerat qua potissimum de causa mulieres a sacro pro boum valetudine Marti silvano faciundo abesse vetitae sint, eum, ut nunc res sunt, hariolos et vates adire iubeo, qui si huius quoque quaestionis solutionem scilicet Etruscorum illi disciplina initiati in promptu habebunt, non mirabor. ego modestius de ea re existimabo.

Sed iam mihi res est cum Osthoffio viro doctissimo. is enim cum eodem fere tempore, quo primum ego meas de Dresselii Büchelerique rationibus dubitationes Romae conlegis Instituti capitulatim significavi, prope in easdem ipse incidisset — nam neque *cosmis* pro comite positum neque accusativum a locutione comitem esse suspensum ferri posse intellexit — prioris inscriptionis sensum longe diverso a nobis consilio hunc sibi visus est adsecutus esse: *Iove Sat(urno) deivos qoi med mitat, neited endo cosmis vir cosied asted, noisi;* ut sit 'ad Iovem Saturnumque qui me mittat, nitito intus aptus vir consit astet.' cuius interpretationis vindicandae causa quae disputavit, in eis sunt primum in quibus vir doctissimus egregie falsus

est. nam quod dixit verba inscriptionis nullis inter se intervallis diiuncta esse, ut distinguendi plena libertas sit penes grammaticum, id eatenus certe falsum est, quod scriptor inter *sied* et *asted*, hoc est et unico in hisce inscriptionibus loco et eo qui facillime conscribi potuit, intervallum reliquit. ex quo potissimum argumento ego conclusi, orationem post *sied* incidendam eoque artificio simul asyndeton illud quod, sive *comes sit adstet* sive *consit adstet* effeceris, nunc quoque mihi nequaquam ab illis *velitis iubeatis* similibusque commendationem habere videtur, de medio tollendum esse. deinde cum dativum quem esse credimus *deivos* cum dativo quem esse constat *devas Corniscas* neque ullo analogiae vinculo sociari neque ad intellegendam formam noviciam *deiveis, deivis* ducere contendit, eo certe necessario detruditur ut rem omni analogia destitutam ipse admittat, *Iove(m) Sat(urnom) deivos* accusativos locali notione cum mittendi verbo coniunctos. nam Latina exempla accusativi eius personae ad quam aliquid mittatur non magis extant quam eius cuius sit aliquis comes. cetera mitto: nam et latius patet hic locus qui est de accusativorum domum rus Romam locali notione positorum causa quam qui paucis possit absolvi — sensit quidem aliquid veri Madvigius opusculorum Germ. p. 293 ss., sed tamen aliis me alio loco rationibus rem confido esse expediturum — et si recte ego, id quod Osthoffius etiam tum ignorabat, signum quod scriptor post *Iove* inseruit *i* litteram esse conieci, confecta res est universa. denique *neited cosiet*, nitito consit, antiquo sermoni quam maxime convenire dixit. ac coniunctivum quidem a verbo nitendi potuisse suspendi, demonstratione non eget: est enim pervagata ea syntaxis. ne hoc quidem offensionem haberet ullam, si activa nitendi forma apud priscum aliquem scriptorem e codicibus restituendus esset. at offendit futurum pro imperativo positum in sollemnibus iubendi vetandive formulis, offendit ipsum nitendi verbum et prorsus insolenter et inproprie positum pro eo quod usus et ratio in talibus requirunt faciendi curandive. qua de re non dubitabit qui recens sit a lectione legum rusticique Catonis commentarii. quare cum viri doctissimi argumentationi adstipulari non possim, redeo ad Catonis verba in rem meam convertenda.

Cautum erat igitur ut Martis sacro pro boum valetudine a fundi domino eisve qui eius mandata exequerentur *mulier ad eam rem divinam ne adsit neve videat quomodo fiat.* nemo facile dixerit exoptato venire hanc legis formam ad commendandam inscriptionis Romanae formam talem *nitito vir cosit, astet: nisi.* nam alterum illud orationis membrum, quod nemo nisi qui Latine nescit aut nescire se simulat monstri instar esse contendet, *noisi Ope Toitesiai pacari vois,* optime quadrare primariae legis formae negativae non est quod conprobem. praeterea cave ne bimembre formulae Catonianae praeceptum, ne mulier adsit, neve videat quomodo fiat res divina, prope ad vim synonymorum figura asyndeti copulatorum accedere putes. immo ad rem divinam adesse dicitur is qui sive precando sive ministrando quodammodo ipsius sacri particeps fit, ut adsunt domino dis penatibus facienti uxor liberi ministrorum munere fungentes. audio neotericos magistros mihi obtentare differentiam illam tralaticiam, qua adesse verbum, si iuvandi notionem assumpserit, dativum, si adstandi retinuerit, repetitam sibi praepositionem deposcat: quos velim reputare quid sit quod et iudices et reus ad iudicium adesse dicantur scilicet a populo illi circa subsellia congregato ita dirempti, ut qui negotiis incumbunt ab otiosis. secundum igitur legis membrum prioris severitatem superat, siquidem sacrum facturis inculcat ut ne mulieres forte fortuna transeuntes opus rei divinae introspicere patiantur: quod siquando accidit, piaculum fuerit oportet. haud abs re erit exemplum superstitionis similis eiusdemque alienigenae comparare quod nuper mihi de Indorum religionibus sciscitanti Gar-

bius conlega coniunctissimus deprompsit. et sciendum sacrum illud quod apud Indos a mulierum oculis defendebatur sanctimonia fuisse singulari. sed ne quid in re a meis studiis aliena perimam, ipsius Garbii verba inseram nostro sermone scripta:

'*Çatapatha-Brâhmaṇa* 14. 1. 3. 16: 'wenn die Pravargja-Ceremonie vollzogen wird, verhüllt die Gattin (des Opferveranstalters) ihr Haupt'. 7—9. Jhdt. Ebenso *Kâtjâjana-Çrauta-Sûtra* 26. 3. 2. *Âpastamba-Çrauta-Sûtra* 15. 2. 9: 'Bei dem Pravargja darf weder eine Frau noch eine Çûdra zusehen'; 15. 5. 1, 2: 'wenn man den Pravargja vollziehen will, verschliesst man die Thore (der Umfriedigung) und verhüllt den Ort vor der Gattin (des Opferveranstalters) [damit der Pravargja von ihr, während sie sich an ihrer Stätte befindet, nicht gesehen wird. Scholiast]. 3—4. Jhdt. Cf. Zeitschrift der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft. Bd. XXXIII, 320, 329, 334.

Prorsus gemella igitur circa caerimoniarum sanctitatem anxietate tam Romanos quam Indos in his certe sacris curasse apparet, ut ne otiosarum mulierum oculi nocivi vitium facerent operantibus. etenim similem cautelam in verbis inscriptionis Romanae, qualem ego legi et distinxi, inesse quis iam negaverit? nempe cavetur ne virgo in eum, qui vasculum Iovi Saturnoque mittat, comiter se gerendo, hoc est inter vias ut aiunt ei adnutando comive et affabili sermone eum compellando vitium faciat: quid quod ipsum piaculum, quod Catonem omisisse dixi, ascriptum est Opi Toitesiae solvendum? duabus igitur rebus Catoniana lex et inscriptio vasculi inter se differunt: primum eo quod altera mulierem altera virginem procul esse iubet, deinde eo quod illa sollemnibus verbis constat, haec a lapidaria quam dicere consuevimus sollemnitate quam maxime abhorret. atque illius quidem differentiae causam a deorum, ad quos haec monumenta pertinent, diversa natura repetendam esse sponte apparet: ultra ne prodeamus quaerendo, quid sit quod Marti Italico valetudinis boum custodi mulieris visus, quid virginis comitas novendialis sacri dis praestitibus Iovi Saturnoque officiat, vetamur ut dixi paucitate exemplorum similium. alterius differentiae causa aliquatenus inlustratur inscriptione vasculi Atheniensis, siquidem Romanae et antiquitate et genere subitariae ut ita dicam scripturae consimilis est. quodsi quis in altero utro monumento similium exemplorum defectum conqueratur, accuset iniquitatem saeculorum. quid autem mirum quod hoc genus monumenta litterata, ipsa materia et usu frivola, paene a primordiis antiquorum populorum non plura duraverunt, cum eiusdem aetatis vel ea quae lapidi aerive publice incisa erant perierint praeter paucissima? ceterum eis quae nuper singillatim de Iove Saturnoque sacri novendialis patronis, de charactere litteraturae, de indole sermonis exposui, solum accessit hoc novi, quod *oi* pro *ei* scriptum ut in titulo nostro *quoi noisi vois,* ita etiam in titulo Falisco comparuit hoc: *Voltio Folcozeo Zextoi f.*, id est latine *Voltius Folcosius* (sive *Holcosius*) *Sextei f(ilius)*: id quod indicavi Hermae vol. XVI p. 510 s.

II.

Ingeniose ut solet Nicolaus Madvigius Emendationum Livianarum p. 45 suspicionem movit contra scripturam codicum Livii I, 32, in quibus regis senatum sententiam rogantis verba sic tradita leguntur: *quarum rerum litium causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritium patri patrato Priscorum Latinorum hominibusque Priscis Latinis, quas res nec dederunt nec solverunt nec fecerunt, quas res dari solvi fieri oportuit, dic — inquit ei quem primum sententiam rogabat — quid censes? tum ille: puro pioque duello quaerendas censeo itaque consentio consciscoque.* neque enim a quoquam expositum esse, quo iure condicendi verbum genetivum sibi adiungi patiatur,

falso autem a quibusdam eiusdem casus cum promittendi vocabulo coniunctionem eumque ne ipsam quidem a dubitatione liberam arcessi; denique cum rebus litibusque quod causae copulatae sint id neque usu defendi neque ratione explicari. necessaria igitur eademque lenissima medela manifestum librariorum vitium sustulisse sibi visus est *causa* pro *causarum* scribendo. cuius ratiocinationis vim qui idoneis argumentis labefactarit neminem novi: qui aut per silentium transeundo aut vetera illa recoquendo eluserint, complures. e quibus eos generatim proscripsisse satis habeo, qui veteres Romanos in verbis quae ad ius pertinent, quae confuso formularum veterum nomine comprehendi solent, nihil non sibi contra usum rationemque loquendi indulsisse audacter proclamant. nos singillatim ut par est viri egregii argumenta examinemus. atque ut ab eo ordiamur quod ultimum esse voluit, non possum non ab eo dissentire. nam ut ternario numero comprehenduntur ea quae Prisci Latini populo Romano, cum praestare debuerint non praestitere, hoc est dare solvere facere eas res quas repetitum fetiales profecti erant, ita ternario numero apte videntur comprehendi ea, de quibus utriusque conlegii patres patrati condixere. quae ipsa cum sint eae res, de quibus certatur, non video cur rerum vocabulum, quod solum in proximis orationis membris usurpatur, ibi ubi primum infertur litium additamentum recipere, at causarum respuere sumendum sit. utrumque enim pertinet ad definiendam et quasi in partes suas discribendam notionem vocabuli generalis: cuius moris exemplum et ipsum ex antiquitate remotissima casu servatum est illud carminis augurum in arce pronuntiati *inter ea conregione, conspicione, cortumione,* in quo ternarium numerum ibidem regnare vides.

Quae cum ita comparata sint ut necessitatem corrigendi nequaquam evincant, cetera quibus eam commendavit argumenta sane videri longe efficaciora esse confitendum est. nam primum nulla praeter hunc locum exempla sociati cum condicere vocabulo genetivi extare certum est, deinde ratio eiusmodi societatis similium comparatione aegre efficitur. constat antiquam atque primariam vocabuli notionem esse denuntiandi. quare cum dicitur aliquis condicere alicui aliquid, vel cum condicere in diem tertium omissa significatione obiecti, vel cum condicere se aliquid facturum, earum locutionum, quarum exempla ascribere nihil attinet, ratio grammatica sua sponte apparet; condicendi alicui alicuius rei non item. sed videndum de similium, quae nulla esse contendit, comparatione. in quo hoc maxime offendit quod primum sine causa idonea contra Tullianum illud Top. c. 4 *damni infecti promittere* suspicionem movit, deinde si sincera ibi librorum scriptura sit, *satis* vocabulum e constanti ceterorum scriptorum usu cogitatione supplendum esse dicit. neque enim vocabulorum quae sunt promittere, repromittere, syntaxin ullis machinis disiunxeris ab eorum quae cum his iuris communione artissime copulata sunt, stipulari, cavere, satisdare. atqui iureconsultos eosque classicos locutiones stipulari, cavere, satisdare damni infecti et de damno infecto in promiscuo habuisse vel unus Digesti l. XXXVIIII titulus secundus abunde ostendit. quid igitur? promittere stipularive cum aliquo damni infecti quod dicitur nonne id prope accedit ad illud condicere alicui alicuius rei? distat certe aliquantum ab eorum verborum syntaxi, quae a supplendo vocabulo satis asciti genetivi excusationem habent. quare quotienscumque ad verba Livii Madvigiique commenta examinanda redii, scrupulum nescio quem in meomet animo residere sensi. sed eas dubitationes utpote suapte natura levipenses tum demum in censum dare ausus sum, cum mihi exemplum Liviano consimile certaeque antiquitatis in Osca Bantinorum lege visus sum repperisse. ibi enim v. 23 s. haec scripta sunt: *pr. svae praefucus pod post exac Bansae fust, svaepis op eizois com altrud* (in aere est *atrud) ligud acum herest auti pru medicatiid manim aserum eizaxunc egma-*

UofM

zum, pas exaiscen ligis scriftas set, ne pim (phim aes) *pruhipid mais vicolois x nesimois.* in quibus quae Mommsenus dubia reliquerat paene omnia expedivit Kirchhoffius praeter initium, quode nunc quoque dubitatur; cuius verba nunc quidem Latine faciam sensu neglecto. certa igitur Oscorum interpretatio latina haec est: *pr(aetor) si praefectus quod posthac Bantiae fuerit, siquis apud eos cum altero lege agere voluerit aut pro iudicato* manum inicere earum rerum, *quae hisce in legibus scriptae sunt, nequem prohibuerit magis diebus X proximis.*

Primus igitur Kirchhoffius intellexit Oscum *manim aserum* forma quidem Latino *manum adserere* exaequandum esse, re autem Latino *manum inicere,* cum illud in iure Romano de sola hominis liberi vindicatione usurpetur: quode adserendi significatu nuper Mommsenus Hermae t. XVI p. 147 dilucide exposuit. hoc quoque idem Kirchhoffius intellexit *pru medicatud manim aserum* non posse Latine fieri *pro magistratu manum inicere* eo sensu, ut is qui manum iniciat ea re vice magistratus facere dicatur; sed cum coniecit eum dici *apud magistratum* manum inicere, ipse sensit se rem acu non tetigisse, cum praesertim magistratus Osce non medicatus appelletur sed meddixus. nuper demum comparatis tituli Lucerini verbis *sei quis arvorsu(m) hac faxit, [in] ium quis volet pro ioudicatod n(umum) [L] manum iniect[i]o estod* (Eph. epigr. II p. 205) certo intellectum est *pru medicatud* esse Latinum *pro iudicato.* ita factum est ut totius loci tam verba quam sententia praeter omnem dubitationem ita ut supra fecimus potuerint enarrari. certum est igitur Osco sermone cum lege agendi cum altero aut pro iudicato manum adserendi sive iniciendi verbis genetivum earum rerum sociari, propter quas sive de quibus ut apud praetorem praefectumve intra dies decem proximos ageretur hoc legis capite cautum est. atqui Latine structura quae est lege agere cum aliquo furti aliusve rei ut petere, condemnare, absolvere sollemni more sancta est, manum inicere alicui alicuius rei non item. cuius verbi structura legitima quae fuerit legis actionis per manus iniectionem verba a Gaio IV, 21 ss. edissertata ostendunt. ipsa autem eius quibus in iure utebantur verba talia fuere: '*quod tu mihi iudicatus*' (*sive* '*damnatus*') '*es sestertium X milia, quando non solvisti,* ob eam rem *ego tibi sestertium X milia iudicati manum*' (codex *manus*) '*inicio.*' itaque locutiones *sestertium tot iudicati manum inicio, numum tot pro iudicato manus iniectio esto* ut re ita verbis structurave pares sunt, in decreto Lucerino desunt quae sua sponte intellegebantur *ob eam rem.* sed genetivus iste legis Romanae qui est *tot sestertium iudicati* suspensus a verbo manum iniciendi genetivus est pretii totoque caelo distat a genetivo Oscae legis cuius verba si Latine feceris hanc effeceris sententiam *earum rerum manum inicere quae his legibus scriptae sunt.* nimirum Romae haec in hunc modum concepta fuerint oportet: *ob eas res m. i. q. h. l. s. s.* exiguum igitur vel nullum discrimen intercedit inter hunc genetivum eumque a quo haec disputatio profecta est, genetivum a condicendo suspensum. his igitur exemplis inter se comparatis apparet veterem Italorum sermonem ultra eos fines progressum esse, quos Romani iuris sollemnitas genetivo dixit: neque hercle illa *petere, damnare, absolvere furti, promittere, stipulari damni infecti,* quae iuris Romani consuetudine sancta sunt, ipsa notione nimium quantum aliena sunt ab his *condicere earum rerum, manum asserere* sive *inicere earum rerum;* quarum locutionum ratio eo solum diversa est, quod interrogationis Romanae forma anacoluthos ex ipsa rogandi *dic quid censes* forma pendet. super est ut quasi in transcursu moneam Oscae legis verbis comparatis luce clarius apparere formulae Livianae structuram ex sinceris antiquissimae elocutionis fontibus esse derivatam. sed neque hanc rem neque quae causa fuerit Italis genetivi eam rem quade litigatur comprehendendi paucis absolvere licet.

Bina exempla genetivi Italici disputavi Latinum alterum alterum Oscum. addam tertium Romanum urbanumve, quod licet genere diversum et ab antiquitate testimonii minus commendatum sit, tamen vel propter splendorem originis dignum est quod non amplius in receptaculis soloecismorum, quo nunc est detrusum, despicatui habeatur. Romae igitur inter porticus Octaviae parietinas, unde anno 1868 Ambraciensis Fulvii Nobilioris victoriae monumentum emersit, abhinc annis tribus basis marmorea ingens (alta est m. 0,80 lata 1,20 longa 1,76) inventa est, cuius fronti litteris pulcris Augustique aetati convenientibus inscripta sunt verba haec: *Cornelia Africani f(ilia) Gracchorum.* supra in margine litteris tertii quartive saeculi minoribus haec extant: *opus Tisicratis.* itaque certum est non solum statuam *Corneliae Gracchorum matris,* cuius verba hoc ipso titulo inscripta ex libro Nepotis excerpta nunc quoque extant, huic basi impositam fuisse, sed etiam statuam eandem quam Plinius historiae nat. XXXIV, 31 Corneliae sedentis ut ait soleisque sine ammentis insignis se vidisse in operibus Octaviae translatam eo e porticu Metelli testatur; denique hanc statuam postmodo Tisicratis operi locum cessisse nescio quo fato sublatam. haec omnia Rudolfus Lancianius in Instituti nostri a. 1878 actis menstruis p. 208 ss. ita persecutus est, ut quid Bernoullius Iconographiae I p. 72 dubitando contra molitus sit — dixit enim plinthos statuarum sedentium quae aetatem tulerint dimidia parte minorem latitudinem habere hac basi — plane ignorem. idem Lancianius non potuit non offendi nominum ratione in titulo primario plane singulari. cuius rei causam p. 210 repetiit a consuetudine sermonis volgaris, quo filiorum nominibus in locum homonymi patris substitutis femina inlustris Cornelia Gracchorum audierit. secutus est Marquardtius Vitae privatae Rom. I p. 16 adn. 5 qui unicum hoc monumentum inter exempla nominum feminilium, quibus coniugis nomen genetivo casu additum sit, exhibuit abiecta scilicet per incuriam parte tituli dimidia. sed ad causam illius insolentiae aperiendam qui rediit nuperrime Mommsenus opificem fertur — sic enim relatum est de opinione eius ab Henzenio Bormannove Eph. epigr. IV p. 284 — soloecismi incusasse, cuius exempla praeter Iornandem saeculi sexti scriptorem inveniantur nulla: 'maxime igitur mirum' — sunt verba eius qui rettulit — 'bona aetate opificem quod vellet ita non Latine expressisse'. quasi vero imperator Caesar Augustus eive quibus ab eo cura demandata esset in exornandis Octaviae operibus homines semibarbaros pro lubito grassari passi essent nec foeditas soloecismi publico consilio commissi in loco publico celeberrimo, in monumento praegrandi, conspicuo, perinlustri, tot hominum litteratorum atque ipsius Plini indignationem commovisset! ne multa, de Mommseni opinione minus recte relatum esse suspicor. sed utut est: admodum perite Lancianius et grammatici et interpretis partes sustinuit, ut disputationem eius non emendandi sed cumulandi munus mihi impositum esse videam. nam nequis volgarem quam dixit sermonis consuetudinem cum plebeia confundat, cui non magis quam soloecismo ad id locorum aditus patebat, cautum est testimonio a nemine adhibito Valerii Maximi, hominis tam stilo quam ingenio aulici cultus elegantiam adfectantis VI. 7. 1 *ut uxoriam quoque fidem attingamus, Tertia Aemilia Africani prioris uxor,* mater Corneliae Gracchorum, *tantae fuit comitatis* e. q. s. itaque quam Tullius Nepos Plinius Tacitus Corneliam matrem Gracchorum dixerunt, eam Valerius et is qui nomen eius certe non privato consilio basi incidendum curavit dixerunt Corneliam Gracchorum. nec puto quemquam ellipseos figurae artificio adhibito Valeriani testimonii vim esse debilitaturum. longe aliam rationem habet omissum matris nomen in his Plinii maioris verbis Nat. hist. VII, 57 *sicut Gracchorum mater et Agrippina Germanici,* in quibus e contrario Corneliae nomen sup-

pressum eiusdem illius consuetudinis vestigia monstrat. etenim ut consentaneum est a sollemni more, quo sepulcrorum monumentorumque honoris causa positorum tituli reguntur, non solum matris vocabuli omissionem verum etiam liberorum per casum genitivum adpositionem abhorrere, ita manifestum est, plane singularem illam Corneliae denominationem ab huius feminae fama non minus singulari et infortunio unico pendere. quae cum fato acerbo quos pueros in gremio educavit, quos adultos cohortatione consilioque fovit, filios duos amisisset patre inlustri inlustriores atque libertatis vindices acerrimos, profecto cogitatione adsequi possumus qui factum sit ut homines urbani argutando matrem filiis ut ita dicam manciparent. nimirum Latinorum casus patrici quem technici vocant notio generalis, a qua variae eius species tanquam rivuli e fonte communi decurrunt, possessiva est: idem valere de genetivis ceterarum dialectorum Italicarum quae quidem artioribus cognationis vinculis copulatae sint, indiciis certissimis cognoscitur. nec mirus est horum populorum consensus, a Graecis dissensus, quippe ablativi ab Italicis recepti, a Graecis ignorati vestigium. hoc quoque Italicis cum ipso familiarum gentiumque iure commune fuit, ut possessivam illam quam dixi notionem genetivi ad significandum eius dominium uterentur, in cuius potestate manu mancipiove esset familia, hoc est uxor, liberi, servi, sed ita tamen ut Romanis potissimum uxoris servorumque nomina a genetivis dominorum suspendere placuerit, velut in his *Caecilia Metelli, Candida Albuci, Pelops Petilli,* Samnitibus Umbris Paelignis nomina filiorum, velut in his *V. Púpidiis V., L. Varie(s) T., P. Sadries T.* neque enim adsentior eis qui Romanos quoque primitus *Marcum Marci* omisso filii vocabulo dixisse suspicati sunt. haec autem grammaticae notionis ad iuris rationem quasi applicatio quanti in Italia priscis temporibus vigoris fuerit, inde discimus quod eadem illa etiam in coniugiis deorum significandis tam Latini quam alii populi utebantur: ita Romae dictum *Luu Saturni*, in Umbria *Vesune Puemunes* (v. quae adnotavi ad Prelleri editionem tertiam I p. 272. 454). sed tamen probe dinoscenda a Graecorum deorum dearumque coniugiis haec Italica, videlicet liberorum prole destituta. quae cum ita sint, si quando emergeret testimonium tale *Sempronius Gracchorum* ommisso patris vocabulo, eius auctorem non argutiarum aut soloecismi sed vecordiae reum ageremus utpote naturae ipsius legibus repugnantem. at enim qui illud *Cornelia Gracchorum* propagaverunt ab hoc crimine liberandi sunt, quoniam matris in filios potestas nulla fuit. quodsi supra matrem dixi hac figura grammatica quasi mancipatam filiis, tamen vides quo hoc pertineat. neque enim si summam rei respexeris prorsus diversa ratione effictum est illud urbani sermonis *homo paucorum hominum*, cuius locutionis proprietas eo continetur quod qualitatis genetivus quem dicunt — est autem is quoque possessivus — argute ad personam translatus est. singulariter dictum utrumque, utrumque similiter: a filiorum nominibus fatisque Cornelia, a paucorum familiaritate prudenter illi volgi contemptores videbantur vitae suae quasi notam accepisse. urbani igitur sermonis argutias usu sollemni sanctas, non sordes lususve hominis plebei, is qui Octaviae porticum exornandi curam gerebat passus est subscribi statuae Corneliae matris Gracchorum.

Et quoniam quodammodo feminae nobilissimae causam egi, nunc perorandi iure ita utar, ut aureae eius epistulae, cui enarrandae aliquid nuper contuli, nunc verba nonnulla adscribam emendatiora. *ecquando desinet familia nostra insanire? ecquando modus* eirae (sive irae: *ei rei* libri) *haberi poterit? ecquando desinemus et habentes et praebentes* molestiis *(desistere* adsutum in libris)? *ecquando perpudescet miscenda ac perturbanda re publica?*

Corneliae verba quippe doloris materni aestu laborantis non posse ad perfectae concinnitatis regulam exigi aiunt: audio. at quid ieiunius, quid magis elumbe istis, ecquandone

futurum sit, ut insitam familia insaniam omittat, ut ei rei temperet? cum praesertim quae insecuntur bina molestiarum et perturbationum crimina similem praecedentium partitionem bimembrem efflagitare videantur. accedit quod insania et ira veteribus solo tempore inter se differre visae sunt: quae opinio in proverbii sententiaeve formam redacta ac deinde modo Catonis modo Senecae aliorumve sapientium dictis inserta est (v. quae adnotavi in Catone meo p. 107, 56). quare cum crimima quaterna ad bina insaniae iraeque, molestiarum perturbationumque paria revocavi, concinnitatem mihi videor restituisse haud illam a nativo orationis impetu alienam. relicum erat ut tertium membrum pristino nitori redderetur. cui desiderio memini aliquando Ioannem Schlichteisen, disciplinae Regimontanae nuper alumnum, nunc Gedanensem, ita satis fieri posse coniecisse, ut vocabulum *desistere,* in quo corrigendo vel traiciendo sane frustra adhuc elaboratum est, eiciatur, videlicet additum a lectore aliquo male sciolo, cui istud *desinere aliqua re* a grammatica abhorrere videretur. cui coniecturae nunc quoque adstipulor.

III.

Notum est *praesente* vel *absente nobis, praesente amicis, legatis, testibus, his, suis* dixisse Plautum (Amph. 140), Terentium (Eun. 649), Pomponium, Afranium, Accium, Varronem (in satura et in epistulis), Fenestellam: quorum exempla e glossis antiquiorum grammaticorum decerpserunt Donatus (ad illud Terentii *absente nobis)* et Nonius p. 76. 154. unde Iosephus Scaliger Plauto Bacchidum v. 142 R. contra codicum memoriam *praesente ibus* restituit ratione tamen ille parum probabili usus: at prorsus certa Bombius dissertationis de ablativo absoluto Gryphiae a. 1877 editae p. 42 Cornificio rhetoricon IV, 11, 16 id quod in commentariorum Kayseri farragine delitescebat *praesente multis clamitavit.* scilicet haec verba in eis codicibus, quibus solis in tali re fides constet, Wirceburgensi, Parisino, Bernensi, a prima manu scripta extare, secundam aliquam in Bernensi Parisinoque interpolatorum lectionem *praesentibus* ascripsisse, nuper mihi sciscitanti, quid hoc loco Kayseri testimoniis haud semel fallacibus tribuendum sit, confirmavit Franciscus Schmidtius Gumbinnensis, futurus horum librorum editor. apparet igitur usque ad Ciceronis aetatem tersissimum quemque scriptorem hoc anacoluthon, quod populari consuetudine frequentabatur, litteris propagasse. postea quo quis limatius scribebat eo magis anxie talia devitabat: ut non mirum sit neque apud Tullium illa *absente* et *praesente his* inventa esse nec praeter Fenestellam, haudquaquam sincerae spectataeque latinitatis auctorem, omnino apud classicos urbanosque scriptores imperatorum aequales. sed extra eos terminos, qui grammatistarum decretis cultiori sermoni tanquam cuidam viae publicae constitui solent, liberius latiusque illud anacoluthon in plebei sermonis tramitibus serpsisse, nunc certo constat tituli alicuius testimonio casu superstitis. haec enim ex lapide Aquileiae reperto accurate excepit Mommsenus CIL V, 895: *d(is) m(anibus)* | (infra opere anaglypho 'vir cum hasta, pone equum tenens puer' efficti sunt) | *Aurelius Flavinus optio leg(ionis) XI Claudiae* | *annorum XXXX, qui* | *militavit ann(os) XIV* | *et optio ann(os) X: posuit titulum desuo* astan te civibus suis *impensi(s)* ⁜ (hoc est *denariorum*) x̄. in quo titulo quod solum quaeri potest, quid sit quod ille *astante civibus* titulum se posuisse dicat, id nego probabiliter solvi posse, nisi sumamus bonum optionem, militari vitae ut opinor quam stilo tractando magis adsuefactum, *astante civibus suis impensis* paulo insolentius, verum non prorsus contra Latini sermonis usum pro *adiuvante* dixisse. certe forensi consuetudine cum patroni clientibus astare dicuntur, astandi notionem ad adiuvandi curam officiumque translatam esse apparet. at pluralem illum anacoluthos singulari participii ad-

iunctum si quis in eorum barbarismorum numero habendum esse opinetur, quo multa eiusdem generis monumenta inquinata sunt, is demonstret oportet, quid intersit inter structuram grammaticam illorum Cornificii *praesente multis clamitavit* et horum Aurelii Flavini *astante civibus titulum posuit.* quas locutiones cum solo vocabuli eius, quod anacoluthos usurpatum est, delectu diversas esse consentaneum sit, causa autem nulla sit, cur non possit *astante* ita usurpatum esse uti *absente, praesente* usurpata esse cognovimus, profecto sani homines iudicii titulo Aquileiensi ita utentur, ut eum usum, qui litteratorum regulis sensim coartatus sit eum et primitus latius patuisse et in volgari consuetudine mansisse coiciant. quare nunc quidem ascito hoc tertio exemplo ipsa libertate a ceterorum sollemnitate paulum diverso, confirmatur, quod idem ille, quem supra laudavi, vir doctus haud absurde coiciebat, ex hoc ipso fonte morem volgaris Italorum linguae adulterinas praepositiones ope ablativi participiorum fingendi pullulasse. nam rursus antiquis illis *absente, praesente, astante his* tam gemella sunt recentia haec *durante, non ostante, mediante* cum casibus suis, ut vix dubitari liceat, quin antiquis quoque temporibus fuerint qui exempli causa *mediante his rebus* dixerint, cum praesertim *mediante hac re* Sidonium Palladium alios aetatis infirmae scriptores sensu vario dixisse et lexica doceant et Rönschii utilissimus de Itala et Vulgata liber p. 167. — sed ultra prodire datur. nam causam huius anacoluthi ad Romanensem usque linguam pervagati, quam nostri grammatici, cum ab imperita praepositionis *coram* imitatione repetunt, antiquis illis, qui in figuris ellipseos archaismive arcessendis acquieverant, peritia certe non antecedunt, eum ab usu aliquo consimili quique et ipse a prisco sermone Latino usque in volgarem Romanensium radices egerit, non nihil lucis accipere existimo.

Observaverat Diezius Lexici t. II p. 29 conl. Gramm. t. II p. 428 III p. 155. 339 particulam sermonis Italici recentis *fino*, unde *finchè, affinchè*, antiquiore dialecto *fine* audire idque ipsum iam in mediae aetatis monumentis Latinis praepositionis vicem obtinere, velut in his *fine flumen, fine via publica.* non meminerat vir plane singularis quod classici philologi a Io. Math. Gesnero didicere — quanquam sunt qui ne nunc quidem didicerint, veluti Ebrardus prolixae de ablativo dissertationis annalium philologorum Supplemento X insertae p. 599. 613 — illud ipsum *fine* sive *fini* iam antiquos plane eodem modo usurpasse, (v. comm. in Cat. rei rust. c. 28, 2). Cato igitur in libro rei rusticae, de cuius codicum scripturis H. Keilii benificio mihi constat c. 21 *qua fini* 149 *qua vendas fini (finis* traditur) 28 *radicibus fini* 113 *ansarum infimarum fini* dixit. itaque quod apud Plautum in libris Palatinis traditur Men. 858 *atque hunc senem* ósse fini *dédolabo assulatim viscera,* licet maxime propter hiatum suspiciosum sit, tamen eam medelam respuere quam Ritschelius temptavit, ut scribatur *ósse tenus dolábo [et concidam] ássulatim viscera,* hoc non solum C. F. W. Müllerus (Prosodiae p. 578 Supplem. p. 89) Brixiusque intellexere, verum etiam coniecturae sane perquam temerariae auctor postmodo persensit (Opusc. II p. 252); ut Drägerum infortunio plane singulari conflictatum esse videas, cum Ritschelii coniecturam ab ipso reiectam pro genuinis Plauti verbi edissertaverit Synt. 1^2, 645. Plauti igitur Catonisque aetate non solum *fini hac re* verum etiam *fini his rebus* dicebatur: sed ab eadem inde aetate etiam *fini huius rei* dici coeptum est. itaque Columella quidem et Gellius atque Ulpianus *ea fine qua, hac fini, fine praestituto* dixere, at Belli Africani scriptor, Sallustius, Papinianus *umbilici fine, fine inguinum, quadrantis fini, fini virilis partis, peculii fini.* quae omnia aut in lexica sunt relata aut facili negotio invenientur. addo Caelium Aurelianum eodem sensu dixisse *usque ad pectoris finem* Chronicorum morb. II, 14, 197, nec plus semel

nisi fallor, ceteroquin *tenus* particula usus. atque illa quidem exempla non dubito fore qui accumulent; sed inventum iri praeter Catonem qui *fini his rebus* dixerit, equidem vix crediderim. quodsi inopinato aliquis invenietur plebei sermonis auctor, ut inopinato extitit intermortuae circa Augusti tempora locutionis vindex optio Aquileiensis, bene erit: nunc si unico illo antiquae aetatis exemplo cum aetatis mediae Italorumque recentium consuetudine comparato, *fini* nominis ablativum haud secus atque ablativum participiorum sermone plebeio frequentatum esse dicemus, peritis non videbimur cupidius existimasse. neque vero eidem iam pluribus edocendi erunt quam prope absit hoc anacoluthiae genus ab ablativo absoluto, quo primigenia eius forma procreata est, quam longe absit ab analogia adverbiorum *tenus intus foras coram palam*, quae omnia septimo demum urbis saeculo praepositionum personam induisse videntur. quare non solum Ritschelio diffidendum fuit, cum singulare illud *osse tenus* Plauto restituit, verum etiam non nimis confidendum Io. Frid. Gronovio, cum speciosa sane lenique coniectura in epistula a Claudio Quadrigario relata sive potius conficta *animo tenus commoti* effecit ex librorum scriptura *tenui*. esse autem adverbia illas quas enumeravi particulas, vel forma vocabulorum evincit. inter quas ea quae ad ablativum *fini* notione prope accedit, *tenus*, ea quidem sua sibi fata habuit nec scitu indigna neque aliena ab huius capituli argumento.

An vero non mirum esse dixeris, quod *tenus* coniunctum cum ablativis substantivorum, cum praeter exemplum illud Quadrigarii incerta suspicione restitutum a litterarum legumque et actorum publicorum memoria Sullae dictatura anteriorum plane absit — quo quidem silentio si Plauti Terentiique fabulas commentariosque Catonis et Cornificii respexeris nihil argutius esse concesseris — primum emergat in carminibus Tullii adulescentis, mox in Lucretii et Catulli, quodque pedestris sermonis scriptoribus, qui horum aetate vixerunt, ita non placuerit, ut idem Tullius bis terve ita locutus sit nec pluriens Caelius Corneliusve Nepos, numquam Varro, Sallustius, Caesar, Vitruvius? atqui *tenus* vocabulum non esse natum adulescentis Tullii tempore sed resuscitatum litterisque insinuatum quis abnuerit? et extant vestigia quamvis tenuia in litterarum monumentis ea quam dixi aetate antiquioribus *tenus* adverbii tam nude ut aiunt positi quam ablativis feminini generis pronominum sociati. utriusque generis singula exempla e Plautinis fabulis sola Bacchides videtur exhibere, atque illius quidem v. 793 *intendi tenus* — nam de grammaticorum quibus *tenus* substantivum esse visum est errore infra dicetur —, huius v. 168 *istac tenus*. cetera quae sunt *ea tenus hac tenus qua tenus* a Plauto esse aliena observavit Ritschelius Op. II p. 253, non inveniri apud antiquioris aevi scriptores meminerat Handius Turs. II p. 341. neque vero quod antiquius sit Sullae temporibus ego equidem ullum mihi enotavi praeter decantatum illud idemque perdubium glossae Festi p. 258*b* 32: *qua tenus significat qua fini, ut hac tenus hac fini, at quatinus quoniam. sed antiqui* quatenoc *dicebant ut Scipio Africanus in ea oratione quam scribsit postquam ex Africa rediit: 'uti negotium natum erat,* quatenoc *castra nostra ita munita erant ut posses exercitus abducere,'* ita enim in codice Farnesiano scriptum est: *quatenos* utroque loco correxit Ursinus. neque vero fugit C. O. Müllerum hanc coniecturam propterea aliquid dubitationis habere quod illa aetate — sunt enim verba Africani minoris dicta scriptave a. u. c. 608 — '*os* pro *us* iam paene evanuerit'; neque servatae vocalis *o* priscae usque ad medium saeculum septimum singularia quaedam exempla veluti *sont*, *semol* (de quibus v. Ritschelius Op. IV p. 234) eam dubitationem penitus tollunt; at auget eandem iteratio emendationis suapte natura parum illa probabilis. quare equidem dubitabam an *quatenoc* illud sive id *quateno-ce* sive *quateno-que* primitus fuisset, defendi posset, cum Aemilii Tewrewk de Ponor

Studia Festina, ex ephemeride, quae inscribitur 'ungarische Revue', seorsum expressa et perhumano scriptoris consilio mecum communicata veteris controversiae, quae est de *quandoc* scriptura, memoriam in tempore mihi suscitarunt. apud eundem enim Festum p. 258 *b* 4 haec leguntur: (*quando*) . . *in XII quidem* (id est in lege XII tabularum) *cum c littera ultima scribitur.* fuere qui hanc codicis scripturam attemptarent aut *d* aut *e* littera inlata, ut aut *quandod* aut *quandoe* legi XII tabularum insererent. quorum hoc quidem ita omni ratione destitutum est, ut frustra quaesiveris, quo modo Rudolfum Schöllium patronum nancisci potuerit reliquiarum legis illius ed. p. 65, illud merito explosit Theodorus Bergkius Symbolarum ad gramm. lat. p. 29. scilicet *quandoc* abiecta vocali e *quandoque* factum esse probe is intellexit. at nunc quidem observationibus viri doctissimi illius, cuius Paulum edendi consilium iandudum votis sinceris prosequimur, sententiae a Bergkio dictae novum accessit praesidium. testatur enim l. s. s. p. 12 glossas Pauli p. 259, 3. 7 in omnibus codicibus optimae notae, quorum haud exiguum numerum comparavit, sic scriptas esse: *quandoc rex comitiavit fas, quandoc stercus delatum fas.* unde suo iure legi XII tabularum eandem formam, Farnesiano Festi codice traditam, restituendam esse contendit. quid igitur? nonne etiam *quatenoc*, quod duplici eiusdem codicis Farnesiani testimonio munitum est, retinere datum erit? *ten-us* adverbium ductum est a tenendo ut *sec-us*, nimirum illud quod deinde ampliatae formae *secundum* cessit, a sequendo, *vors-us* a vortendo. sed praeter finalem *-us* antiquum sermonem aliis usum esse ad derivandas a radice verbali particulas adverbiales, comprobant *pro-tin-am, pro-ten-is* vocabula sermonis antiquioris volgari *pro-ten-us* notione congrua. de quibus particulis non repetam quae grammatici dudum stabiliverunt. quare veri haud dissimile putaverim ab eadem radice *ten-o-que* esse deflexum, ad cuius formam nescio an proxime accedant vetusta illa *dōnique dōnicum,* quorum illud decurtati *dōnec* archetypon est. utrumque verbi vel nominis radice natum esse mihi quidem certum esse videtur. sed redeo unde digressus sum: itaque praeter bina exempla Plauti Bacchidum unumque istud Africani quod abiciendum erit exempla me nulla dixi *tenus* adverbii ne cum pronominum quidem generis feminini ablativis coniuncti invenisse in litteris Sulla antiquioribus. extitit tamen ante hoc tempus hoc dicendi genus: nec mirum. neque enim distat ulla re a pervagatis per omnia tempora illis *posthac, postilla, postea; antehac, antea; praeterhac, praeterea, interea; propterhac, propterea, quapropter,* quod genus usus quam late aliquando patuerit fidem faciunt rariora illa *arvorsum ead* epistulae consulum de Bacchanalibus, *advorsum hac* plebi sciti Siliani, *arvorsu(m) hac* decreti Lucerini nuper reperti, denique *posteac* non solum scarifatum in tectorio domus cuiusdam Pompeianae CIL IV, 1837 sed etiam publico consilio incisum lapidi imperante Claudio CIL V, 5050 v. 13. eodem denique forsitan pertineat quod Lucretio Lachmannus Comm. in II, 517 restituit *inter utraque,* de quo dixi in Symb. p. 273. putabat Ritschelius dissertationis de finali ablativorum p. 82 rationem huius usus repetendam esse a priscorum libertate, quibus licuerit ablativum et accusativum promiscue sociare eis quas ascripsimus praepositionibus. cui opinioni ego vel propterea adversor quod exempla antiqua nulla extant ablativi a praepositionibus *post ante inter praeter propter* suspensi praeter unum illud augurum carminis *inter ea conregione* e. q. s. quode nunc vide quae ampliori, quam paro, de ea re commentationi prolusi in Symbolis p. 99. quae cum ita sint, nullus dubito quin casu factum sit, ut inter legum precationumve ceterasque Latini sermonis antiquissimi reliquias *tenus* adverbii exempla nulla extent. abiectum igitur iacuit ac paene absconditum, donec Tullii temporibus reductum est in lucem litterarum. quid multa? consimilem fatorum vicissitudinem *tenus*

particula subiit qua *ast* particulam aliquot saeculis intermortuam denuo per ora poetarum volitasse atque ipsius plebis consuetudini se insinuasse alibi docui.

Sed post mortem Ciceronis qui *tenus* adverbium praepositionemve usurparint quibusve argutiis primitivam eius notionem, quae est localis, delicatioris homines gustationis variaverint, plenius persequi non est in animo. pauca de ampliore cena delibasse satis habeo eaque fere quae ab hominibus doctis qui hunc locum attigere — nam qui absolverit equidem novi neminem — omissa esse video. primum igitur constans omnium consuetudo hoc sanxit, genetivus ut ne sociaretur particulae nisi pluralium. quam regulam non solum ei tenuere, qui primi nobis praepositionis usurpatae auctores sunt, Cicero adulescens in Phaenomenis (*lumborum cauda cratera* 83, 352, 387), Lucretius (*labrorum* I, 940, IV, 15), Catullus (*nutricum* 64, 18), verum etiam qui horum legerunt vestigia. ea autem est exemplorum, quae adversentur illi, paucitas, ut libentius inscitiam librariorum quam scriptorum antiquorum neglegentiam incusaveris. ita cum *Tauro tenus* dixerint Cicero et Nepos, *Scythia tenus* Ovidius Her. 12, 27, *Arimino tenus* imperator Augustus teste Suetonio Aug. 30 — rectissime enim ita iudicavit Mommsenus ad Mon. Ancyr. p. 58. 59 — quis crediderit Livium dedisse *Corcyrae tenus*, quod traditum est libro XXVI, 24, 11, cum praesertim similiter peccasse amanuensem libri XLIV, 40, 8 *genus tenus* pro *genu* scribendo paene in confesso sit? deinde quo quis a fuco cincinnisque orationis remotior, eo magis abstinuit ab usu genetivi neque aliam fere praepositioni attribuit notionem quam localem. denique haud pauci scriptores tam post Ciceronem quam ante eum usum eius aut prorsus declinarunt aut religiose coartarunt. trium scriptorum usum testem facio: Columellae. Appulei, Caelii Aureliani atque ex Columellae quidem commentariis duodecim solus quartus mihi suppeditavit exempla nec plus tribus, *vivo, corpore, cacumine tenus* c. 24, 5, 6. 29, 8. deciens invenitur in toto Appuleianorum librorum corpore, qua de re diligentia H. Beckeri mei mihi constat: ablativus ei copulatur sexiens Met. I, 6 *pube*, 13 *capulo*, VIII, 2 *umero*, IX, 17 *digito*, X 23 *facie*, Florid. c. 7 *pallio*. genetivus quater Met. IX, 13 *ossium*, XI, 24 *talorum*, Flor. c. 2 *nubium* de dogm. Plat. I, 15 *umerorum:* quintum exemplum, quod non minus legi supra dictae quam loci sententiae repugnat, *tyrannidis tenus* ib. II, 15, Vulcanii emendatione dudum sublatum est. Caelius Aurelianus solum ablativum usurpavit: *pube tenus* dixit Acutorum morborum I, 9, 66. III, 18, 180, 183. Chronicorum I, 4, 75. II, 1, 12. IV, 3, 38. 6, 88. V, 3, 55, 59. 4, 65, 68, 72, 73, 74, 79. 10, 93, *vertebro* Chr. I, 11, 79, *cervice* II, 32, 167, *fundo* III, 16, 174, *tenus palpebra* Chron. II, 8, 87, *mare tenus* III, 1, 10. supra vidimus eundem scriptorem dixisse Chron. II, 14, 197 *usque ad pectoris finem*, cum potuisset dicere *pectoris fini*. praeterea dixit ib. V, 3, 55 *usque ad vesicam*, 10, 97 *usque ad ilia*, 100 *usque ad sinistra loca*. ponderare solemus testimonia, non numerare, neque probamus multorum operam qui legum sermonis suapte natura volgarium exempla, quotquot extant omnia' tanquam in armamentariis reponunt nemini hercle profutura. quod studium ut in tironibus, qui proprio Marte rem gerunt, non est morosius exagitandum, ita artis doctores coercere decet, non promovere. sed ista quidem exemplorum enumeratio ab ipsa ponderatione haud aliena est. neque enim non convenit paucitas exemplorum Gaditani scriptoris simplicitati et elegantiae, casuum binorum usus mobilitati Madaurensis, qui elocutionem ingenii ubertate et cultu litterarum variam mire sermonis volgaris elementis temperaverit. huic aetate paene suppar est tertius idemque Arnobii conterraneus. nam Sicca eum sive colonia Cirta nova oriundum esse non minus certo perditorum codicum schedaeque superstitis Leidensis testimonio constat quam constat de Tubursico patria Nonii. atqui apud Arno-

bium elegantiarum sermonis sectatorem haud infelicem *tenus* vocabulum me legere non memini: Caelium, hominem graece quidem doctum, sed ultra artis suae terminos non evagatum vides hunc quoque usum cohibere intra artis istius fines. scilicet quod septiens et deciens intulit, *pube tenus*, sollemni usu sanctum esse apparet, alia substantiva parcissime praepositioni sociavit, genetivum numquam: quid quod legitimum eius usum illis *usque ad ilia, usque ad sinistra loca*, sciens videtur devitasse? simile artis vocabuli ab eodem constanter usurpati exemplum est *peiorare* vocabulum, cuius plerumque participio utitur in formula *peiorante morbo* sive *passione*. quod vocabulum ei inter sollemnia fuisse, ut sunt *vehementescere* et *declinare* item de gradibus morborum dicta, sane numeratio exemplorum sola docere potest: adnotavi autem inter legendum quae secuntur, Acut. I, 12, 101. 15, 129. II, 1, 3. 14, 92. 15, 92. 27, 144. 32, 166. III, 5, 50. 17, 158. Chron. I, 1, 6. 4, 121. 5, 173. II, 5, 89. 14, 199. IV, 1, 13. V, 2, 32. omnia me adnotavisse non spondeo: his quae ascripsi cautum esse puto nequis paucitate exemplorum ab aliis relatorum decipiatur. — Africitatis proprietates videbor tetigisse eis qui in hoc vastum tanquam sterquilinium omnia coiciunt quaecumque aut inflati rhetoricae disciplinae tumore litterati homines sibi contra urbani sermonis classicitatem indulserunt aut plebecula contra grammaticam peccavit videturve peccasse. nam hoc quoque usu venit ut nostri grammatici suosmet ipsi errores Africanis hominibus attribuant. velut Nonius Datus, haudquaquam infimae sortis homo, veteranus legionis tertiae Augustae librator, in epistula lapidi incisa circa a. 152 p. C. visus est Mommseno potuisse scribere *adeo ut petiit*, indicativo a consecutiva particula suspenso. demonstravi Symb. crit. p. 267 s. orationem sic incidendam esse: *adeo ut superior fossura — petiit, inferior similiter petiit*. non repeterem rem manifestam, nisi viderem Mommsenum non solum nihil de ea adnotasse ad CIL VIII, 2728, verum etiam in indicem grammaticum idem illud sphalma rettulisse p. 1111 ('ut cum indicativo'). scilicet non is sum quin cedam hominum peritorum argumentis, silentio ut cedam, non adducor. sed in viam redeo. restat enim ut disputationem de usu particulae *tenus* concludam aperta eius origine.

Supra tetigi Bacchidum Plautinae eum locum, ubi *tenus* adverbium invenitur nude positum. ibi Chrysalus servus epistulam quam a Mnesilocho adulescente acceperat Nicobulo seni obsignatam tradit. cui interroganti ubinam ille sit, nescire se respondit,

nil iám me oportet scire, oblitus sum ómnia.
scio me ésse servom néscio etiam id quód scio.
nunc áb transenna hic túrdus lumbricúm petit:
pendébit hodie púlere, ita intendi tenus.

archetypon librorum Palatinorum — deficit enim Ambrosianus — habuit *intenditerus*, idque apographa servarunt nisi quod altera Veteris qui vocatur codicis manus id ipsum restituit quod extabat in exemplaribus antiquis *intendi tenus*. illud quidem sensu caret, hoc unice verum est. traditur autem in hunc modum. Nonius haec habet p. 6, 10 Merc.: *tenus est laqueus dictus a tendicula. Plautus Bacchidibus 'nunc ab — ita intendi tenus'* (*turdur lubricum* e Parisino enotatum est). Servius ad illud Aeneidos VI, 62 *hac Troiana tenus: id est hac tenus, huiusque. id est hic sit finis. nam tenus proprie est extrema pars arcus, ut Plautus ostendit. unde tractum est ut hac tenus huc usque significet* (sequor Danielinam). velim edoceri cur nostri grammatici illius interpretamentum arripiant, huius abiciant. nam neque de *tenus* substantivo, quod aut laqueum significet aut cornua arcus, aliunde constat neque arcus intentio minus convenit sententiae Plautinae quam intentio laquei. quid enim mirum si Chrysalus dixisset videlicet per translationem arcum insidi-

asve se intendisse turdo, ita ut mox periturus sit? apage nugas: *tenus* vocabulum hoc loco idem illud est, quod ablativis *ea hac qua* vidimus sociari quodque in eadem fabula, cum alibi apud Plautum non inveniatur, sociatum est ablativo *istac*. dicit autem Chrysalus: *pendebit, ita tenus intendi*. Latine et Plautine dicitur aliquis aliquo intendere vel intendere aliquid facere eodemque pertinent locutiones litem alicui insidiasve intendere et animum intendere in aliquam rem. itaque Chrysalus cum adulescenti tanquam anceps turdo insidiatus est, intendit ei, ita quidem intendit ut non possit non mox pendere: intendit autem *ita tenus* vel *ita ea fini*. hanc enim finis significationem Verrius Flaccus, qui interpretamenta illa ne fando quidem audisse videtur, rectissime tribuit particulae *tenus*, si quidem quae supra edissertavimus locutiones *ea fini, ea tenus, radicibus fini, radice tenus* ne hilo quidem inter se differunt. nam a tenendo factum esse *tenus* supra vidimus. quod verbum significatione prope accedit ad tendendi porrigendive aut attingendi actionem, id quod maxime apparet comparato composito quod est *pertinere*. ea igitur particula primum adverbii vice videtur functa esse, dein praepositionis. cui quod ablativum sociare placuit, factum esse potest aut eo quod successerit locutioni *fini ea re* aut quod ablativi pronominum *ea hac istac* coniuncti cum adverbio ablativos substantivorum, quorum sane diversa est ratio, sensim traduxerint ad ineundam cum praepositione societatem. denique quo potissimum consilio pluralium genetivus in locum ablativi substitutus sit viderint peritiores: ego nunc quidem satis habeo rem et regulam stabilivisse.

IV.

Verbo tangam rem diu multumque hominum doctorum opinionibus vexatam, *elogium* vocabuli originem. extat titulus sepulcralis hominis plebei Romanus CIL VI, 9659 multis nominibus memorabilis, quode pluribus dixi Hermae vol. XV p. 534: ibi quod legitur *monumentorum* sacrilogos non quadratarium sed scriptorem peccasse dixi, volgari illum consuetudine pronuntiandi usum. nunc eiusdem consuetudinis exemplum alterum invenio in lapide castelli Arsacalitani, quod in Africa situm fuit Constantinam inter et Sitifim, cuius scripturam Wilmannsius sic exceperat CILVIII, 6181

VENERIA
SORTILOCA
VAC

adnotavit Mommsenus: '2 'C certum est' Wilm.' quod testimonium si recte relatum est ad v. 2 — possis enim suspicari pertinere ad v. 3 — intellexisse apparet Wilmannsium titulum in hunc modum esse restituendum: *Veneria sortiloga, v(ixit) a(nnos) c(entum?)*. in indicibus Mommseni *Sortiloca* (sic) inter cognomina relatum est.. rara est in litterarum monumentis a Tullii inde aetate sortilegorum memoria, nulla in lapidibus praeter Ligorianos ut videtur — nam ante edita Corporis volumina quae Italicos lapides complectentur quis talia spondeat? — sortilegae feminae, quae quidem hoc nomine audierit, praeter hunc lapidem item nulla. nihilo minus vix dubitaveris de hac interpretatione, cum praesertim eiusdem formae vocabuli plebeiae vestigium certum manserit in optimo codice Monacensi Porphyrionis comm. in Hor. Sat. I, 114 *divinos* sortilogos *circulatores*. iam igitur certum est neque illud *sacrilogos* neque hoc *sortiloga* a quadratarii incuria inscitiave, quibus *c* et *g* permutatae multaque alia idgenus vitia debentur, posse repeti: quinimmo legitime declinatae in latinis vocabulis *c* vocalis exempla tenemus duo in tanta exemplorum huius legis paucitate haud spernenda eisque quae solent ad